



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 67. De Simonia sub Bonifacio IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

*Hist. Uni-  
vers. Paris.  
tom. 5.  
initio.*

fisteret. Universitas Tolosana aliis rationibus mota scripsit ad Regem epistolam, in qua aperto Marte subtractionem fati acriter impugnat; & quamvis Nicolaus Clemangius schismatis extinctionem ardentibus votis desideraret, & ad Benedictum XIII. a prima electionis suæ die plurimas & mordaci facundia plenas literas ea de re dedisset, nunquam tamen subtractionis viam comprobavit. Joannes Gersonius, alique plurimi Doctores scientia, ac studio pacis clarissimi, ejusdem cum Nicolao erant sententiæ; & licet subtractioni, postquam in Galliis decreta fuit, acquieverint, tamen ad reddendam Ecclesiæ pacem, inutilem præfagebant.

§. LXVII.

*De Simonia sub Bonifacio IX.*

Simoniam, quæ a principio quidem occulte, postea vero aperte Romæ ab Aulicis exercebatur, ipsum Boni-



Bonifacium in invidiam populi traxit. Ferunt aliqui, ipsum Annatas perpetuas, tanquam jus Romanæ Sedis inseparabiliter annexum instituisse; totam quoque Italiam pervagabantur Sedis Apostolicæ Cursores, qui studiose in infirmos, ac ditiores beneficiarios eo fine inquirebant, ut defunctorum beneficia sibi Romæ aucuparentur, cum vero isti, deficiente non nunquam pecunia, nummos cum fænore mutuos accipere cogentur, usura adeo sub hoc Pontificatu invaluit, ut (si Theodorico Niemo *de schismate l. 2. c. 7.* fides habenda foret) non amplius peccatum esse crederetur. Quandoque idem beneficium eadem die pluribus vendebatur, & re ipsa vacare, singulis exponebatur. Uno verbo, inquit Fleurius, beneficiorum nundinatio tam frequens erat, ut plurimi aulæ Ministrî eam licitam esse, neque Pontificem in hac materia peccare posse, defenderent.

*Hist. Eccl.  
tom. 20.*



Interim Patrimonium S. Petri deprædationibus expositum ingemuit; Fundorum Comes, quem Bonifacius hoc anno 1399. anathematis sententia perculit, plures status Ecclesiastici urbes vi occupavit, & ad Portas Romanas usque prædas egit. Joannes quoque Galeatius Mediolanensium Dux Perusium in suam redegit potestatem; quapropter Pontifex Roma Assisium fugere compulsus est, hæc turbas sedaturus, sed paulo post in urbem reversus ob Jubilæum, quod anno sequenti indixerat, ibi celebrandum.

## §. LXVIII.

*De Secta Albatorum.*

*Niem. de  
schism. l. 2.  
c. 26.  
Antonin.  
chron. tit.  
22. c. 3.  
Pogg. hist.  
Flor. l. 3.  
p. 136.*

Eodem tempore *Albatorum* secta in Italiam irrupit. Percipiamus Theodicum a Niem, qui triginta omnino annis in Italia vixit, & hujus monstri oculatus testis erat, ac proin majori fide dignus, quam S. Antoninus, Platina, Leonardus Aretinus & alii,